

capitaneum excellentem et strenuum Ultramontanum dicte talie quinque milium militum, cui capitaneo tota dicta talia dictorum quinque milium militum debeat obedire; et modus petitionis, supplicationis et acceptationis dicti capitanei discretioni et dispositioni dictorum ambaxiatorum iturorum ad summum pontificem relinquatur, prout omnes simul unanimiter concordabunt. Et quod milites talie supradicte dictorum comunium sint Ultramontani et de partibus ultramontanis oriundi, probi et in armis experti.

(3) Et quod capitaneus dandus et deputandus per dictum dominum nostrum summum pontificem dicte talie quinque milium militum esse debeat et morari personaliter cum dicta quantitate militum vel parte eorum, prout opportunum congnoverit, contra Bavarum ecclesie et fidei catolice inimicum, ubicunque per Ytaliā vagaretur, et ad fronterias inimicorum Ghibellinorum rebellium et adversantium sancte Romane ecclesie et parti Guelfe et illis resistere viriliter et impugnare pro posse eosdem secundum quod ipsi capitaneo et suo consilio videbitur expedire. Et quod omnia et singula comunia, civitates, universitates, loca et castra dicte talie et nominatim ad dictam sotietatem et taliam conferentes et contribuentes et que conferent et contribuent se ad invicem debeant defensare, defendere, iuvare et tueri pro posse dicta talia durante maxime ab oppressionibus^a, offensionibus et iniuriis dampnati Bavari et suorum sequacium et prefatorum Ghibellinorum et omnium inimicorum ecclesie et partis Guelfe et in predictis prebere operam pro posse. Et quod omnia et singula comunia dicte sotietatis et lige teneantur et debeant quantitatem militum sibi de dicta talia contingentem dicta sotietate durante habere et tenere continue et illis solvere et satisfacere de suis stipendiis tam integre, tam decenter, quod servire possint libere, ubi et quando fuerit opportunum.

(4) Et quod nulla comunia vel singulares persone quattuor comunium vel alicuius eorum vel aliorum comunium conferentium ad taliam predictam vel habitantes in eis vel aliquo eorum vel in comitatu vel districtu eorum vel alicuius eorum possint vel debeant contrahere, facere vel habere aliquod commertium, negotiationem, conservationem vel mercantiam cum comunibus vel singularibus personis comunium aut civitatum Pisarum, Luce et Pistorii vel aliqua eorum vel cum habitantibus in dictis civitatibus vel districtibus earum et alicuius earum, donec erunt ad

a) 'oppressionibus' Or.